



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilium Incerti Loci. In Qvo Perfidia Sirmiensis, Hoc Est formula fidei per  
Osium & Potanium Sirmii conscripta, ab episcopis Galliae damnata est,  
anno Christi CCCLVIII. Liberii Papae VIII. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

ANNO CHRISTI 357.  
358.

cedonio diuinitatem Spiritus sancti negarunt. Ariani autem dicebantur, qui in deterius prolabentes nullam in Filio admittebant vocem diuinæ substantiæ, vel omnimodæ cum Patre similitudinis. Horum antesignani erant Acacius Cæsariensis, Eudoxius Antiochenus, Valens & Ursacius Pannoniæ episcopi impietate spectatissimi, aliique plures, quorum tantus erat numerus, vt vere queratur Hilarius lib. de Synod. in decem Asiæ prouinciis vnum tantum reperiri Eleusium episcopum, & paucos cum eo, qui essent Filii Dei substantiæ assertores. Vide Baron. ann. 358. num. 15. Item 359. num. 97. & 115.

ANNO CHRISTI 358.

CONCILIVM INCERTI LOCI.

IN QVO PERFIDIA SIRMIENSIS, HOC EST formula fidei per Osium & Potanium Sirmii conscripta, ab episcopis Galliæ damnata est, anno Christi ccclviii. Liberii Papæ viii. Constantii Aug. xxi. in Gallia v.

*SYNODI huius notitiam S. Hilario debemus, qui de Synodis Scribens ad episcopos Galliæ, laudat illos, quod missam ad se Potanii atque Osi blasphemiam damnarint, quæ ὁμοουσιου καὶ ὁμοουσιου, id est tum eiusdem, tum similis substantiæ vocabula supprimebat. Beatae, inquit, fidei vestræ literis sumptis, gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos & illæfos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse; & missam proxime vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse. Et alio post loco significat iis ipsis prope diebus illos hæresim respuisse, quibus orientales, vt eandem examinarent, Synodum Ancyranam celebrarunt. Celebrarunt autem, vt ex eiusdem Synodi epistola, quam recitat Epiphanius hæresi lxxiii. liquet, paulo ante dies Paschæ. Quare sub idem tempus Concilium hoc in Gallia coaluisse haud dubium est, sed quo loco incertum. Extat porro Phœbadii Aginnensis in Aquitania episcopi aduersus Arianos liber, in quo Sirmiensem eandem formulam, nuper, vt scribit, ad Gallos missam, per singula capita discutit, firmissimisque rationibus confutat. ita vt Synodicæ, qua caremus, Concilii huius loco Phœbadii liber esse possit.*